

**Dissertatio inauguralis medica, de curis viperinis ... / auctor Theophilus  
Conradus Christianus Storr.**

**Contributors**

Storr, Gottlieb Konrad Christian, 1749-1821.  
Oetinger, Ferdinand Christoph, 1717-1772.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Litteris Jo. Ad. Sigmundi, [1768]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dnrx5f9q>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE  
CVRIS VIPERINIS.

---

QVAM  
SVB AVSPICIIS DIVINIS  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DOMINO,

DOMINO  
CAROLO,  
DVCE WÜRTEMBERGIAE ET TECCIAE, rel. rel.  
PRINCIPE AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO et EXPERIENTISSIMO,  
FERDIN. CHRISTOPH. OETINGER,  
MEDICINAE DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.

DEPVT. DVC. IMMED. MEMBRO, ACAD. ELECT. MOGVNT. ERF.  
SCIENT. VTIL. SOCIO IN MEDICIS ORDINARIO,  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO COLENDISSIMO  
PRO RITE CONSEQVENDO DOCTORIS GRADV  
ERVDTORVM PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR  
THEOPHILVS CONRADVS CHRISTIANVS STORR,  
*Stuttgartianus.*

---

Die Sept. MDCCLXVIII.

---

TVBINGAE, LITTERIS IO. AD. SIGMVNDI.

DISSECTATIO IN ANATOMIA MEDICA

# CVRIS VIPERINIS

QVAM

RECTORI UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO ATQVE OPTIMISSIMO DOMINO

DOMINO

# CAROLO

DUCI WURTEMBERGICAE ET THURINGIAE  
PRINCIPIS AC DOMINI SVO CLEMEN-  
TIS-  
CONSISTENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PHARISIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET ALPERRIMO  
FERDINANDO CHRISTOPHO OETTINGER

MEDICINAE DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.

DEPUT. DUC. IMMEDI. MEMBR. AC AD. ELECT. NOCVNT. ERE.  
SCIENT. VILL. SOCI. IN MEDICIS ORDINARIO

ATRONO AC PRAESEPTORE SVO COLLEGISSIMO  
PRO RITE CONSERVANDO DOCTORIS GRADU

RECTORVM PVBLCO EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

THEOPHILVS CONRADVS CHRISTIANVS STORZ

Sturzenheim

Die 24. MDCCLXXII

TRIBVNAE, LITTERIS IO. AD. SIGNAVDI



§. I.

**V**ipera, Amphibiologorum litibus subiecta semper, necdum habetur definita. Hanc, quidem, crediderunt veteres, distingui satis posse per viviparam naturam; omnino nimium largiti etymologiæ; sed, ita neque mares viperas cognosci posse, neque extra partus tempus feminas, quin, alia & vivos partus eniti serpentia (a), præterviderunt. Relicto post incongruo hoc caractere constantius depromere volebant ex telis viperinis signum recentiores naturæ ruspatores (b). At horum quoque operas, dum decimam serpentum quamque speciem lethiferis armavit istis frameis, natura liberalior elusit (c). Hinc acutissimus scientiæ totius naturalis reformator, Ill. CAR. LINNÆVS, quum distribueret naturæ singula producta in tria regna, digesta porro in classes, ordines, genera & species, determinavit quoque viperam novissima privaue methodo. Amphibiorum quippe classi, quæ corde uniloculari, uniaurito, pulmonibus arbitrariis, peneque duplici notavit (d), secundo loco, ordinem serpentum subdidit, qui ore respirante, ac pedum pinnarumque defectu (e) cognoscuntur; Tertium hujus ordinis genus, coluber, scuta habet abdominalia & squamas subcaudales (f), quorum



subinde numerus (g) diversas species constituit. Jam primæ quidem colubrorum speciei, viperæ, novissima systematis editione (h) CXVIII numero scuta abdominalia adscribit & squamas subcaudales XXII. quum contra olim edito systemate (i) abdominalium scutorum numerum fecerit CXLV, squamarum subcaudalium XXXVI, & alibi passim alium; qua quidem inconstantia & reliquas determinavit colubri species Summus Vir, ut nuper dubium ex hac amphibolia moverit adversus methodum, per numerum scutorum & squamarum species determinandi, Cl. D. D. WEILER (k). Nec vero sola hæc observatio suspectam mihi reddidit hanc viperæ determinationem, sed ipsa potius res docuit, eandem vagam esse atque inconstantem. Quum enim vipersas examinarem non paucissimas, in quaque deprehendi alium scutorum æque ac squamarum numerum, qui tamen idem semper esse debuerat. Quin, tanta erat discrepantia, ut etiam inutile præceptum illud mihi fuerit LINNÆI, connumerata scuta atque squamas reputandi (l). Ambigebat enim scutorum numerus inter quadragesimum & quinquagesimum, squamarum autem tricesimum inter & quadragesimum, ut sequeretur animalis longitudinem; nec contigit videre viperam, quæ ab Ill. Viro traditam descriptionem exæquaret. Hinc meum duxi, in re adeo ambigua, quo Practicis utcumque satisfiat, descriptionem exhibere viperarum ad nos ex Italia allata-



latarum. Licebit autem ex idea generis supponere, quod figura reliquis cum colubris commune habent. Nec diu inhærendum magnitudini, quam adeo diversam vidi, ut viperæ occurrerent vix pedis longitudinem emensæ, & aliæ, quæ duos pedes pluribus pollicibus exsuperarent. Quæ ventris erant obesissimi, diametro fere apparuerunt sesquipollicari. Distincta autem facies viperæ hæc est: Caput depressum, cordatum, apice truncato, oculis prominentibus, tegitur superius squamulis griseis, distinguitur a reliquo corpore lineis duabus cuneiformibus, obscuris, nigricantibus, in vertice convergentibus. Pone has punctum observatur inæquale, itidem nigricans, agmen ducens mediæ ordinis macularum transversalium, dorsalium. Margines labiorum albicant, qui color subtus ex nigro redditur marmoreus. Oculorum iris flammea, aurantii coloris, pupilla ovata, nigra. Utroque latere ab angulo externo oculi linea nigra producitur longitudine capitis, a qua laterales macularum ordines mox recensendi oriuntur. Lingua vibratilis, bifurca, chalybei coloris, ore volvitur. Dentes vix observabiles asperitate gingivarum sola deteguntur. Veneni instrumenta superiorem occupant maxillam, suo loco exponenda (*m*). Surgit angustior a latiore basi capitis, & ipse mox diametro increscens, truncus, superius squamulis obsitus, griseo colore, interspersis maculis, ita pictis, ut tres ordines macularum transversalium, oblongarum,



rum, ad nigredinem usque obscurarum, regulariter dispositi triangulum ubique constituent, aliis maculis albis, ad latera ab insertionibus scutorum formatis, albam utrinque faciam fingentibus. Hac facie eadem cauda etiam adparet, superius vix dignoscenda ab abdomine; sed infra terminale scutum prominens, pro ano atque genitalibus condendis, scutorum & squamarum fines notabiliter distinguit, a quo marmorea, ut collum subtus, cauda, sensim in viridem colorem abit. Mares colorem griseum constanter servant, eodem in femellis ex griseo parumper rufescente.

(a) Car. LINN., Syst. Nat. T. I. p. 194. Hal. 1760.

(b) Fr. REDI, Osservazioni intorno alle Vipere. Firenze. 1664.

A. SEVERINVS, Vipera Pythia. Patav. 1657. A. SEBA Locupletissimi rerum naturalium thesauri accurata descriptio.

T. II. Amstel. 1735. J. Th. KLEINVS, Tentamen Herpetologiae. Leid. & Gœtting. 1755. (c) C. LINN. l. c. p. 194.

(d) ibid. (e) p. 234. (f) p. 196. (g) p. 195. Act.

Stockholm. p. 206. 1752. (h) Syst. Nat. T. I. p. 216.

(i) C. LINN. Syst. Nat. p. 34. Lips. 1748. (k) De Animalibus

Nocivis Alsatiae Specimen Præf. D. J. R. SPIELMANN. Auct.

J. F. WEILER. Arg. 1768. (l) C. LINN. Syst. Nat. T. I.

p. 195. (m) §. IV.

§. II.

Viperæ in continenti semper deprehenduntur, licet beneficio vesiculæ cujusdam (a), qualem ad natandum piscibus (b) natura dedit, diu etiam sub aquis vitam tolerant. Suas maximopere depereunt speluncas, quas sibi  
intra



intra arborum radices, vel terræ cryptas, vel murorum rimas, ac ædificiorum ruinas struunt. Hyemem ibi somno tranfigunt, ac veris forte amœnitatibus prolectæ, meticulousæ tamen sub densas sese herbas ac vepretorum umbras mox recipiunt, ut hostium insidias delitescentes elabantur. Sic regiones plurimas inhabitant, calidiores tamen & frequentiores & magis vegetæ (c). Reperiuntur per Europam in Italia (d), Gallia (e), Britannia (f), Suecia (g), & passim quoque in Germania (b). Præter Europam nostram in reliquis quoque terræ plagis viperæ habentur (i).

- (a) F. RED. l. c. (b) Schauplaz der Natur. I. Theil. p. 443. Wien und Nürnberg. 1750. (c) Fr. REDI Lettera sopra alcuni opposizioni fatte alle sue osservazioni. Fir. 1670. (d) H. J. N. CRANZ Mat. Med. & Chir. T. III. p. 95. Vienn. Austr. 1762. Pharmacopœa Würtemb. p. 135. Stuttg. 1760. (e) BOURDELOT Observations sur les Vipères. Paris. 1670. M. CHARAS Nouvelles Experiences sur la vipere. Paris. 1669. (f) CAR. LINN. Amœnit. Ac. Vol. I. Amphyb. Gryllenb. p. 113. 114. Petiv. Mus. p. 17. n. 103. 104. (g) C. LINN. Fauna Suecica p. 97. Stokh. 1746. (h) Pharm. Würtemb. l. c. Exercit. Hist. Med. de Viperarum usu medico. Præf. J. H. SCHVLZE. Resp. C. A. MAYER. p. 4. Alt. 1727. (i) Exercit. hujus p. 22.

### §. III.

Cibus, quo viperæ utuntur, sunt aviculæ, mures, bufones, scorpia, cantharides, bruchi, alia insecta (a). His singulari modo potiuntur animalculis, dum aspectu solo, quasi





quasi per incantamentum, in fauces revocant (*b*). Aquam vehementer sitiunt; Captivæ autem, quod mirandum, nullo modo ad cibum potumve capiendum adiguntur, ut, quod jejunæ diuturnos sæpe carceres sustineant (*c*), visæ nonnullis fuerint & vitam & vires admirabiles ex solo quodam aëreo cibo vel astrali naturæ balsamo, quem æther spargat, privo modo attrahere (*d*), aliique scœnum, cui impositæ in diffitas transmitti regiones solent, pro vero pabulo earum declaraverint (*e*); quum interim extenuatio, quam inde patiuntur, resorptione adipis jejunium hoc tolerari, suadeat.

(*a*) B. A. ABBATI de Admirabili viperæ natura. p. 47. fs. Hug. Com. 1660.

(*b*) C. LINN. Amœn. Ac. Vol. I. Amphib. Gryllenb. p. 115. Mus. Adolpho-Frideric. p. 299. Vol. II. Oecon Nat. p. 43.

(*c*) El. CAM. Dissert. Taur. Epist. p. 16. Tub. 1712.

(*d*) Schrœd. Quercet. Rediviv. T. II. p. 830. Francof. 1648.

(*e*) Act. Phys. Med. Ac. N. C. Vol. III. Obs. LIII. p. 172.

#### §. IV.

Quæ intus sumta tota alexiteria habetur (*a*), eadem tamen vipera horrendum intra oris rictum virus recondit, vel quantitate minima, ut primum sanguini communicatum fuerit, sævissimis effectibus mox deleterium (*b*). Veneni integra supellex hæc est: Officulum ultro citroque mobile, maxillæ superiori extus arctius adfigitur, tectum ta-

men



men oris labiis; Huic binæ ab utroque latere contiguæ sunt cuspides, dentibus reliquis majores, quas velut ungues felis, pro lubitu protundit vipera irata ope officuli, vel feriata a morſu retrahit & recondit. Cuspides hæ ad radicem amplum foramen habent, intus canaliculatæ, extus mucronem verſus fiſſæ, ad crenæ calami exemplar. Folliculo, inſtructo glandulis humorem venenofum fecernentibus (c), hæ innafcuntur cuspides, ut videatur liquor ex ipſo quaſi mucrone promanare, dum premitur veſicula. Hæc autem iterum officulo adfigitur utrimque ad marginem ſuperioris labii reperiundo, itidem mobili. Jam morſum inſiſtente vipera, attollit caput, officulum in medio locatum extendit, utrumque laterale ei adprimit, ut ſic folliculus prematur & laticem dimittat. Hinc factò impetu, tum proclinata mole corporis, tum muſculorum quoque vi acta, arcubus iſtis hunc in uſum explicatis ferit & fauciat, confectim ſubſequentem virum, quod e veſicula expreſſum in vulnus influit, ac porro varia, pro viperæ, demorſi, læſæque partis varia natura, funeſta tamen plurimum, ſymptomata producit (d). Cæterum, nec fanioſus iſte latex, utut, immediate ſanguini admixtus, acerrimum ſemper maneat venenum, ullam in ſanitatem exercere valet, ſi per os aſſumatur, violentiam (e), quo & Lucani illud (f) ſpectat:

*Morſu virus habent, & fatum dente minantur,  
Pocula morte carent*

B

(a) Phar-



- (a) Pharmac. Würt. l. c. SVLZBERGERI Diss. de Morfu viperæ. Resp. M. ETTMÜLLER. Punct. IV. Lips. 1679. (b) Fr. REDI l. c.  
 (c) C. LINN. Am. Ac. Vol. VI. Morfura Serpentum. pag. 28.  
 (d) M. CHAR. Opp. Gen. 1664. (e) Laudati Redi Epistola apologetica, latino idiomate donata Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. p. 414.  
 (f) Alb. v. HALLER Elem. Physiol. T. VII. p. 58. 59. Ger. v. SWIETEN Comment. in BOERHAAVE Aphor. T. I. p. 225. Hildb. & Mein, 1747. (g) M. Ann. Luc. Pharf. L. IX. V. 615.

### §. V.

Producta, quæ igne resoluta vipera largitur (\*), hoc ordine prodeunt: Aqua primo colligitur, phlegma dicta, hinc spiritus volatilis, oleum empyreumaticum volatilius, sal volatile copiosum, oleum empyreumaticum crassum & carbo ex oleo ejusmodi, ex terræ notabili quantitate & fixi salis alcalini pauxillo constipatus. Quum vero pars quæcunque animalis sub tortura ignis eadem exhibeat, conclusio ex his productis ad viperæ effectus non valebit. Quin, si vel maxime experimentis voluisssem productarum partium proportionem explorare, ob pretium, quo apud nos stant viperæ, res sumtuosior fuisset, quam utilior, quum etiam proportionem partium magnopere invertat ignis. Quare notatæ acquiesco eminenti quantitati partium, quæ igne tortæ sal volatile constituunt.

(\*) Mos, Char. l. c.



## §. VI.

Viperæ non solum integræ in usus medicos vocantur, sed etiam vix cogitari potest pars, productum aut præparatum viperinum, quod non ab antiquissimis temporibus in medicam materiem introduxissent medici, nunc ratione & experientia adducti, nunc autem nimia seducti credulitate atque superstitione. Sic vivis tribus deglutitis malignæ febris tribuerunt salutarem exitum (*a*). Exuvias ficcatas inque pulverem redactas purgantibus adnumerarunt (*b*). Quin, pristina non dubitavit ætas, quartanæ debellandæ ac viperarum morsui internum usum capitis opponere, id autem amuleti forma in angina de collo suspendere (*c*); Hepar, cum felle exsiccatum, sacram constituit parturientium in foetu mortuo & secundinis maxime pellendis, anchoram (*d*), at, separata fellea vesica, tostum commendant in dysenteria (*e*). Fellis jam dudum constat virtus blande septica in oculorum notabilibus quibusdam morbis (*f*), quæ etiam extantior habetur in pinguedine (*g*); Hæc vero extus applicata arcanam præstat vipæræcidis in morsura viperarum antidotum (*h*). Sanguine viperino superstitione olim filum imbuerunt, quod in catarrhis collo adligarent (*i*). Exhalationibus hujus animalis quamplurimum ab omni tempore adscriperunt, ut balnea serpentum, viperarum maxime, ob hancce cau-



fam leprosis commendarint (k). Nec aliam ob rationem vinum extulerunt, in quod immersa vipera extincta fuerit, ut Cel. MEADE leprosum illo restitutum se vidisse referat (l), antiquitate tota idem loquente; Quin feminæ Britannicæ non horruerunt, ipsum hoc vinum inter cosmetica referre (m); immo, eodem titulo laudatum fuit stercus viperinum (n). Hæc sunt, quæ sine operosa præparatione a viperis obtenta, in medicum materiem suscepta ab Autoribus leguntur. Plura autem ex hoc animali medicamenta præpararunt arte chemica, pharmaceutica, culinaria, aliis. Tincturas, essentias, magisteria, & quotquot pyrotechnica grandiloquentia farinæ hujus nomina potius, quam res progenuit, non singulatim recensere. Dicenda tamen aliqua simpliciora præparata viperina. Trochisci, quos ex carne viperæ cum pane formant, nomen dant ad farraginem, ex qua theriaca componitur. Jam dudum sunt explodi (o). Majores usus jure tribuunt sali volatili viperarum, longe subtilissimo, in ipsa viperarum aliorumque venenosorum animalium morsura (p), in paralyfi (q), aliisque plurimis adfectibus (r). Quid vero ejus ex fixatione operosa magis, quam rationali, immo fictitia, quam volunt fieri per Spiritum Vitrioli vel Salis communis (s), emergere aliud possit, quam sal ammoniacale, non video, cui tamen male porro vires specificæ salis volatilis viperini adscriberentur. In sale fixo, quod ex  
capite



capite mortuo elixivatur (t), pariter nil virium latere potest specificarum, cum extrema ignis tortura agiles partes eo certius propulerit, quod accedentibus ex spinis calcinatis partibus calcareis ipsæ simul partes combustibiles reddantur volatiliores ac dissipentur, ut residuum nonnisi cansticum sit alcali, quale ex alio quocumque fixo alcali cum calce nascitur.

- (a) Eph. N. C. Dec. I. Ann. I. Ep. Red. p. 5. (b) R. A. VOGEL. Hist. Mat. Med. p. 309. Francof. & Lips. 1764. (c) F. Red. l. c. (d) Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. CXXVII. p. 289. Act. Phys. Med. Ac. N. C. Vol. X. Obs. L. p. 182. (e) ibid. (f) Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. CXXVI. p. 288. (g) Cel. CRANZ. l. c. Cel. VOGEL. l. c. (h) Laud. VOGEL. ibid. (i) Eph. N. C. Dec. I. Ann. VIII. Obs. XC. p. 204. (k) KIRCHERI Ars Magnetica. L. III. Part. VII. (l) MEADE de Venenis. p. 32. (m) J. ZWELF. Animadv. in Pharm. Aug. p. 211. Nor. 1667. (n) Eph. N. C. Dec. I. Ann. VIII. Obs. XC. p. 204. (o) Ill. CRANZ. l. c. J. ZWELF. Anim. p. 209. (p) Cel. VOGEL. l. c. Mos. Char. l. c. (q) Dol. Encyclop. Med. Dogm. L. I. Cap. XI. Franc. 1691. (r) Ibid. L. II. Cap. VIII. L. III. C. XIV. & L. IV. C. V. Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. CXXVI. p. 288. (s) M. Char. Pharmac. Reg. Gal. Chem. L. II. P. IV. C. V. Gen. 1683. (t) Ibid. Fr. RED. l. c.

### §. VII.

Præmissis his jam propius accedimus ad methodos diversas, quibus utuntur medici in præparanda carne viperina, vel integris, si mavis, viperis. Exsiccatarum vel potius tostatarum viperarum pulvis in terras remotissimas di-

spendi solet magno pretio, bezoartici animalis titulo. Hic pulvis vel assumitur in jusculo adpropriato medicato, vel coquitur cum aqua, & sic confectum jusculum illi substituitur, quod viperis paratur ex recentibus. Absurdum pharmacum adpellat CRANZIVS Ill. (\*), quod quidem durius videtur judicari, licet negari nequeat, hanc viperinum jus parandi methodum plurimis laborare defectibus. Primo enim volatiliores partes ipsa exsiccatione jam difflantur, & confectus pulvis facile corrumpitur ætate, tempestate, acaris; deinde minus certi esse possumus de justa ejus præparatione, cum tot quotidie adulteretur fraudibus; hinc utique impensis, quas spurium absument viperinum jusculum, nec ipsis minimis, egregie caruerit, qui pretio a vero fit absterritus.

(\*) CRANZ. l. c.

### §. VIII.

Alii aliam sibi quæsierunt methodum. Sic olim jam, exhibituri cuiquam vyperas, non hæc porrigebant in substantia, sed pullos gallinaceos, capones, sive perdices per tempus aliquod earum carne saginatas; quas quidem, referunt, sic enutritas aliquandiu, defluvium plumarum incurrisse, ac novis mox redintegratas pennulis (\*) fuisse, ita, ut hoc defluvium perfectæ saginationis punctum & signum constituerint, quo propria dejecta indole in viperinam sint trans-



transpositæ naturam. Qui ridet inventores hujus methodi, magis mirabitur fortassis alios, qui omnium rem optime gesturi, progenierum demum aliquot, enutritarum viperis, his pastam pariter & viperina jam natura imbutiorem sobolem adhibuerunt. Equidem sane rationem hujus methodi non facile perspicio, fuerintne tam meticulosi medici, ut vyperas ancipitis effectus judicaverint, an fraude potius & sumtus & omnem curæ adparatum quæsierint augere, an forte potius studuerint adprobari ægris, qui vyperas horrent. Id sane de hac methodo est in propatulo, quod non majoribus solum impensis, sed & minori efficacia differat a curis viperinis aliis, quum

Dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

(\*) M. A. SEVERINVS l. c. A. Lib. Alchem. Pharmac. pag. 162.  
Exerc. cit. de usu viper. med. p. 20. 21.

### §. IX.

Spretis strategematibus frivolas ostentationes redolentibus alii simpliciter ægroto quotidie jentaculum ex decollata una alterave vipera, assa, elixa, vel alio coquorum artificio tractata curarunt præparari (\*). Simplicissimam hanc esse methodum, facile intelligitur, interim tamen aliqua eisdem se opponunt. Taceo supponendam integritatem digestionis, taceo doses determinandæ difficultatem, id unice sub-





subvereor, ne circa præparationem conditiones oriantur, effectus salutare viperæ violaturæ.

(\*) Act. Phys. Med. Ac. N. C. Vol. III. Obs. LIII. p. 177.

### §. X.

Hinc patet, eam maxime concinnam & aptissimam esse methodum, qua pondere determinata viperarum quantitas, digestionem cauta, sub ignis gradu definito adornanda, statoque temporis spatio absolvenda, ita præparatur, ut constet exactissime de dosi ac conditione jusculi. Sed, antequam processum tradam, sunt quædam præmittenda, scitu necessaria: Dum viperas venantur Itali, ex terræ cryptis eas ut proluciant, fistula sibilum viperinum imitantur; & prope circulum in via media erectum, eas expectant, ad quem observatum, cæcæ enim non inepte creduntur, illidunt, inque gyrum illico convolvuntur; Sic venatores tempus lucrantur, eas ope forcipisprehendendi, & reponendi corbem in vimineam, oblongam, in fundo probe sceno consistam, quæ, iusta quantitate viperarum inclusa, si fuerit ab exteris conducta, sigillo munitur, & bajulo traditur, qui eam humeris in certum locum transferat. Alutam copiam sufficientem pharmacopola accipit, & ad parandum jusculum vivam viperam forcipe longioreprehendit, caput cum collo duos pollices longo amputat, caudamque

que supra anum refecat, & hæc partes mox in ignem projicit, cum separatim etiam a trunco caput morfu nonnunquam fuerit lethiferum (\*); hinc detrahit exuvias, & interaneis exemptis carnes cum spinis in frustula discindit. Quatuor horum frustulorum uncias, quod pondus viperas requirit majores quatuor, minores quinque, sex, cum aquæ libra phialæ committit, vesica optime munitæ, ut unicum saltem idque minimum foramen pateat in medio, collocat in arenæ balneum gradu bullientis aquæ calens, digerit per duodecim horas, digestum percolat & calidum adhuc forbendum præbet ægro, matutino tempore, jejuno ventriculo. Continuatur usus plures per hebdomades vel menses, quin pro individui rationibus per annos.

(\*) FR. REDI l. c.

### §. XI.

Transeo nunc ad indicanda commoda, certo promissa iis, qui jusculo utuntur viperino, nec sumtibus deterriti, nec vitæ generis rigore, quem combinari volunt medici; atque horrore animalis spreto frequentiore, quam faniore, aliisque passim obviis neglectis, nunc veris scrupulis, nunc adparentibus. Hæc certe cura illa est, qua senio confectos, vel præ curarum laborumque mole ante tempus decrepitos juvenes reddidere medici (a). Hac viribus deficien-




cientes, hac hæmorrhagiis vitali penu tantum non emun-  
ctos, refocillavere (*b*); Hac atrophia penitus emaciatos re-  
plere (*c*); Hac labe hectica propemodum consumptos  
instauravere (*d*); Hac arte nulla consolidanda ulcera, hac  
maxime rebelles morbos sanavere (*e*); Arthriticorum sæ-  
pe fuit hæc cura solatium (*f*), hæc podagræ inveteratæ vi-  
ctrix (*g*); Hac omnis generis efflorescentiis atque exanthe-  
matibus squalentes ægri desquamati (*h*). Hac sola brevi tempore  
tuffim pertinacissimam omnino sustulit, ac ulcerosa simul  
liberavit faciei herpete puellam Ill. de HAEN (*i*). Eadem  
Summus Vir restituit juvenulam, a retrogressa scabie vix  
toleranda tuffi ac macie extrema laborantem (*k*), nec dubi-  
tandum, quin continuata, quæ orbi litterario communica-  
bit, huc spectantia experimenta, tot sint futuræ pro effectu  
hujus jusculi egregio auctoritates.

- (*a*) Th. BARTHOLINI de Luce Libr. II. Cap. X. p. 260. (*b*) El.  
CAMERARII Dissert. Taur. Epist. p. 16. Tub. 1712. (*c*) Andr.  
LIBAV. l. c. (*d*) J. JUNKERI Consp. Ther. Gen. Tab. IV.  
p. 145. (*e*) MEADE l. c. (*f*) J. JUNKER. l. c. SEVERIN.  
l. c. (*g*) A. Lib. l. c. (*h*) Ibidem. Th. BARTHOL. Epist.  
Cent. I. p. 13 fs. & tota id antiquitas testatur. Fr. BOISSIER de  
Sauvages Nosologia Method. T. III. Pars II. Cent. X. Gen. XXVII.  
p. 458. Amstel. 1763. (*i*) Ant. de HAEN Rat. Med. Pars IX.  
Cap. VI. §. IV. p. 246. Vienn. Austr. 1764. (*k*) Ibid.

## §. XII.

Experientiis effectus curæ viperinæ salutare comprobavimus (*a*), mox munemus ratione. Determinandum er-

go,



go, quid liceat concludere ex viperæ natura, natali loco, nutrimento, venenata vi, analysi, quorum hoc sine theoriam dedimus in antecedentibus (*b*).

(*a*) §. XI.      (*b*) §. I — V.

### §. XIII.

Placuit equidem veteribus, analogias atque signaturas rerum nimium sectatis, ob id potissimum ad restorationem cutisque depurationem vipera, quod ipsam, verno tempore dejecto cortice repubescentem, hominibus adsumtam, simili modo, & senectutem, & cutis vitia desquamaturam esse arbitrati fuerint (*a*). Sed, cum natura animalium ossa cartilaginea habentium id ferat omnium (*b*), cur non a reliquis eadem expectarunt? Hæc, certe, sola si sufficeret ratio, non video, cur insectorum evolutiones præterviderint, cur æque quadrupedibus familiaria pilorum, volucrisque pennarum defluvia obliteraverint, cur alia neglexerint statis temporibus in totum instaurata animantia? Cur enim, his suppositis, magis bezoardicus habetur cervus elaphus, quam capreolus? cur nostra præ natrice salutaris vipera? Sane, si nec exuvias deponeret, perinde nobis medicata vipera maneret, nec, quod deponat, aut eligitur, aut rejicitur. Missa præjudicata ac obsoleta fatis hac opinione ad aliam hypothesein devolvimur. Visa quip-



pe fuit Thomæ BARTHOLINO (c), ætatis suæ lumini, necdum incelebri, lucis de cætero intensiori sectatori, virtutis viperarum singularis vix causa prodi posse magis prægnans, quam insita mistura lucis, quæ viperæ cum homine communis, hanc aptiorem reddat defectui in homine supplendo. Sic belle quidem ac brevi simul manu obscurus ille viperarum operandi modus illustraretur, sed disquirendum, annon ingeniosius, quam verius? Excidere quædam Viro Optimo probationes hypotheseos antiquam superstitionem adeo olentes, ut pœne totius rei fidem his demoliatur. Sed ipsa res examinanda. Equidem, quid repugnet, non intelligo, quo minus concedatur, fieri posse, ut quoddam animal materie abundans, quam lucis, sive ignis, electricamve nomines, in alimentum cedens alteri, communicet huic suas qualitates igneas? Hinc fere indoles cholericæ carnivorum animalium (d) ac hominum diætæ aromatica, phlogistica utentium. Nec vero hisce viperæ natura ignea evicta, qua tamen actualem ignem minime intellexeris, sed pabulum potius ignis, quod quaque nacta occasione, facile incendatur. Vnicum ex argumentis a BARTHOLINO pro hypothesei prolatis vix excitare audeo, desumptum ab eximio splendore oculorum viperæ, quem igneum vocaverint (e). Quid valeat hoc argumentum ad confirmandam igneam naturam viperæ, iudicio B. L. integrum relinquo. Sed potius fortassis huc retuleris phænomenon, quod saginatae viperis



peris gallinæ prodiderunt? Annon ex phlogisto principio facillime defluvium plumarum illud explicandum (*f*)? Quid, si de dio, sub quo spirat vipera (*g*), vel de agilitate animalis qualiscunque probatio depromeretur? Manet hæctenus hypothesis, dum non constantioribus res stabilita fuerit experimentis. Sed, mavis forsitan ex glutine, quo subtilissimo & copioso gaudet vipera (*h*), rem enodare? Quid enim non in homine ex hoc deduxit Summus Physiologus HALLERVS (*i*)? Quin dudum alii Auctores (*k*) effectus viperæ ex glutinoso, sale volatili subactò, illustrare voluerunt. Differt omnino hujus quoque gluten ab eo, quod calidi sanguinis animalia exhibent. Sunt vero hypothetica, quæ huc proferri possunt, nec satis confidenter enuntianda. At, propiorem tamen forte viam monstrant ad verum eruendum, quum utraque sententia & combinari haud absurde possit.

- (*a*) SCHROEDER Querc. Red. l. c. A. Lib. l. c. (b) C. LINN. Am. Ac. Vol. VI. Morf. Serp. (c) Th. BARTH. De Luce L. II. C. X. p. 260. Epist. Med. Cent. I. p. 133. fs. (d) Alb. v. HALL. El. Phys. T. II. Prim. Lin. p. 63. Gœtt. 1765. (e) Arnold. de Venen. Abensina l. 4. fen. 3. C. 21. (f) §. VIII. (g) §. XIV. (h) C. G. POERNER Sel. Mat. Med. p. 116. Lips. 1767. (i) Alb. v. HALL. Elem. Phys. T. VII. Præf. (k) P. POTER. Opp. Chem. c. Annot. Fr. HOFFM. Cent. III. Cap. 81. Exercit. Ac. de Gelatinis. Præf. El. CAMERARIO. Resp. C. F. SCHEPFF. Tub. 1725.

#### §. XIV.

Quid, cui subimus, cælum, quid regio vernacula cum suo climate ad nostram valeant temperiem formandam,



observatores clamant, non loquuntur. Hæc est necessitas, cui etiam minori, quam nos, latitudine parere debent bruta animalia, & ratione destituta & præfidiis, quibus urgentem cœli inclementiam arcerent. An inde mirum, ardentiori syderi subjectas calidioris pariter naturæ esse viperas. Sed, quum hæ maxime præ reliquis ad usus medicatos expectantur (*a*), annon exinde colligendum, ab igne principem accedere virtuti viperarum symbolam (*b*)?

(*a*) Pharmac. Würtemb. l. c.      (*b*) §. XIII.

### §. XV.

Effectus alimenti, quo nutrimur, in corpus nostrum negaturus, medicamentorum simul nullam faceret virtutem, & rerum omnium magistræ se opponeret. Nec alia in his brutorum est conditio. Vipera insectis maxime nutritur, volatili principio turgentibus, aut, quibus hæc in cibum vergunt, avibus, aut saltem animantibus, subtile sal volatile ejusmodi in animali mixtione jam recondentibus (*a*). Hoc sal in se jam acre atque penetrans digestionis & assimilationis vi evehitur in vipera ad tantum subtilitatis gradum, ut itidem subtili gelatina & axungia subactum, & in naturam animalis versum non possit non in singularis energiæ mixtum transponi. Non urgeo, quod chemico examini subjecta vipera largitur, copiosum sal volatile (*b*), sed illud volo potius principium salinum, quod mixtum continet cum  
gela-

gelatinoso, sine putredinis vel ignis adminiculo jam præfens (c). Inde mirabilis natura ejus explicanda, qua integram per hyemem ex se nutritur, vix decima substantiæ ipsius parte perdita, ut videatur vipera hoc tempore reficiente potius analeptico vel cordiali nobilissimo, quam nutriente chylo fatiari; non enim, velut ursus mæles, hybernans putorium haurit folliculum (d), qualis est illi supra anum, sed sola resorptione subtilissimi in vasa nutrimenti & vitam sibi conservat & vires, idque tam singulari modo, ut vix percipienda sit substantiæ respectu ponderis jactura, & ægre adeo exprimi possit calculo, quodnam particulæ quotidie consumptæ pondus sit, cum vix per totam hyemem decima parte levior evadat, cui certe explicando non somnus sufficit, vel glutinosum illud viscido lentore suo & simul superficie inuncta transpirationem cohibens (e). Simplicissime hoc contra intelligitur ex notione salis volatilis subtilissimi, cui simul unice septicam (f) illam pinguedinis viperinæ vim adscribo, & idem porro sal a nutrimento naturali derivandum esse, eo magis mihi persuadeo, quo aptius utrumque se per circulum demonstrat non reprehendendum, ut sepsis probet subtilissimum illud sal volatile, & salis volatilis copia ex alimentis naturalibus assimilata sepsin illustret. Si porro curiosissimum experimentum Cl. REDI considero, quo is, coacta ad frequentem morsum vipera, vaginas dentium ejusdem adeo emunxit venenosa sanie, ut jam innoxie feri-



feriret, eamque porro aliquod per tempus omni com-  
 tu interclusit, ut, deleteria regressa mordendi facultate,  
 hos sacculos, constiterit, submaxillares a latice intumuisse  
 ipsa ex substantia viperæ regenerato; hoc, inquam, si ex-  
 perimentum reputo, extra dubium esse censeo, venenum  
 illud nocentissimum vel ortum ducere ex sola transpositione  
 saluberrimæ substantiæ viperinæ in aliam proportionem, vel  
 insitum principium volatile vi circuli & secretionum magis  
 evehi, meracius & acrius reddi, & sic in laticem animalis ve-  
 nenosum transire. Quamcumque jam ex his veneni genesin  
 assumam, semper tamen sequitur, particulas inesse viperæ  
 in sua mixtione, nobiliores, volatiles, agilissimas, quas ali-  
 ter vix explicare possem, quam ex assimilatione nutrimenti,  
 quo fruuntur.

(a) §. III. (b) §. V. (c) §. XIII. (d) LINN. Syst. T. I.  
 Mammalia, Feræ. (e) §. VI. (f) EL. CAMER. l. c.

### §. XVI.

Excusso sic simul terrore panico, qui propter cibum  
 viperam infamia notare posset (a) ac tradito veneni ejus or-  
 tu (b) vix amplius metuo, ne vires animalis saluberrimæ  
 iniquo virus viperini metu redditæ suspectæ huic præjudi-  
 cio succumbant. Nascitur potius ex ipsa venenosa ista qua-  
 litate viperæ pro eminentiori medicata ejus vi pronum argu-  
 mentum (c), cui alia hic quædam superraddam: Sic haud  
 coacte

coacte apum huc exemplo tracto, enuntiare sine dubio licebit, præsidio virtutum viperæ adesse venenata tela, velut hyblæis avibus aculei pro melle muniendo (*d*). Certe inerme prorsus animal, dum manuum, pedumque destituitur auxilio, si armis quoque his exueretur, mox extirpatum foret (*e*). Sed virulentia extantior quibusdam pro mensura fuit, qua energiam viperarum æstimarunt, ut aspides his substituerint, quod virus pestilentius contineant, antidotum validiorem ibi supponentes, ubi præsentius esset toxicum, cum vivere non posse venenata animalia crediderint, nisi veneni secum remedium haberent (*f*), addita probatione, quod ictu suo scorpius intereat (*g*). His equidem omnino cum adstipulari nequeam, infitias haud tamen ibo, quam sint notabilis effectus in earundem morfu sal (*h*), axungia (*i*), vel dicta methodo ex iis præparata juscula (*k*), ut his præsentior antidotus, per plurimorum experientiam, non habeatur hæctenus. Retuleris & huc, quod non vividiore saltem (*l*) in regionibus australibus reperiantur viperæ, sed, a calore solis etiam augeri venenatam vim, jam dudum observaverint Autores (*m*), ut certe impari haud passu hic vita & mors ambulent.

(*a*) Animalium, §. III. recensitorum, in cibum viperis vergentium, plurima pro venenati habentur. (*b*) §. XV. (*c*) ibid.


(*d*) Venenum apum per vulnus sanguini communicatum diros etiam effectus producit: Alb. v. HALL. El. Phys. T. H. L. V.



Sect. II. (e) C. LINN. Syft. Nat. T. I. p. 194. (f) Andr.  
LIBAV. l. c. (g) Ibid. Quod etiam de crotalophoro enarrant  
Act. Acad. Reg. Sc. Suec. Vol. XIV. Ann. 1753. (h) §. VI.  
(i) Ibid. (k) LINDERN Commerc. Nor. p. 84. 1735. (l) §. II.  
(m) Eph. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obs. 121. p. 229.

### §. XVII.

Partes, organicum constituentes corpus, perspicuntur ex Anatome, sed, quibus hæ conflantur, elementa ex Chemica intelliguntur. Ut itaque & vires viperarum, & operandi modus dispalescant, non fabrica, mox destruenda præparationis manducationis & digestionis vi, sed, post abolitam structuram superstes partium miscela ac proportio consideranda venit. Posterior proinde potius doctrina consulenda, & quid sub æquo moderamine de animali nostro ignis prodat, reputandum. Quare ex ante dictis (\*) hæc jam repeto, adnotans sal volatile & qualitate & quantitate in vipera eminentissimum. Præterquam enim, quod copiosum satis prodeat sub destillatione, tam concentrata quoque vi habetur, ut Salis C. C. unciam alexipharmaca virtute non æquet, superet unica hujus drachma; ne indicem huc ex Autoribus transferam insignium, quos viderint a sale hoc, effectuum, volatilis ex salis generali indole nunquam explicandorum. Prospicio hic dubium, quod forte contra hæc movebitur. Negabitur conclusionis firmitas a copia & subtilitate salis  
vola-



volatilis, quod igne sit productum, ad viperæ virtutes. Sed id non volo hac paragrapho. Concludo potius ex copia & efficacia salis volatilis chemici ad multitudinem & præstantiam partium in mixtione viperæ præsentium, quibus deficientibus nasci non potuisset igne sal copiosissimum ac præstantissimum. Sufficit ergo, ex obtenta per destillationem salis volatilis, subtilissimi, præstantissimi copia, legitime conclusisse ad præsentiam copiosissimorum principiorum, quæ requiruntur ad producendam nobilissimi & penetrantissimi salis volatilis copiam; ex his autem rite deduxisse præstantiam summamque efficaciam viperæ.

(\*) §. V.

### §. XVIII.

Et hæc quidem sunt, quæ volui de curis viperinis, quarum ut indicetur præstantissima, hujusque simul vis ac energia singularis B. L. convincentibus probetur argumentis, omnem dedi operam. Sin minus instituto faverit successus, non erit tamen eo nihil præstitum, quod in memoriam hac Dissertatione curam revocaverim, antiquitati nimium elatam, ætati contra mediæ & infra merita depresso, at nostro ævo, summorum medicorum præfidiis suffultam, denuo caput erigentem.

T A N T V M.



